



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypraeus, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1634

Capvt XXV. Adolphvs II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

ses, qui hactenus suffragia non tulissent, palam profiteri ceperunt, se extrema quæq; malle pati, & si res postulet, bello rem decernere potius, quam permittere, ut ius Pontificatus supremi in aliam transferretur familiam. Rex populi precibus, ne nouis turbis ac molestijs ansa & occasio præberetur, cedendum existimans, sui prædecessoris exemplo motus, illorum postulatis locum reliquit, & ne multorum odia, ob gratiam vnius hominis, sibi conciliaret, à proposito destitit. Ut tamen aliqua ex parte Occoni repulsam passo satisfaceret, eò rem perduxit, ut suffragijs cleri Occo Selandiæ Episcopus postulatus crearetur. Itaq; Episcopatu Slesuicensi relicto, in Selandiam migravit Occo. Sed tamen postea, ob turbas Eskillo fugiente, Occo Slesuicum ad Episcopatum reuersus est. Motus autem & contentiones maximæ turbæq; grauissimæ inde consequutæ sunt, quod Occo posthabitus, Episcopatu potiri non potuerit, ut deinceps exponemus.

CAPVT XXV.

ADOLPHVS II. Comes Holsatiae post mortem Lotharq; Imper. à Marchione Alberto Stormaria & Holsatia pulsus, Henrico de Badevvide substituto, mox Henrici superbi auxilio eam recuperavit, & VVagriam, Vandalis oppressis, desolatam & incolis vacuam, colonis, antea ex Nordalbingia tempore Caroli Magni propter eorum copiam transpositis, ex Brabantia, Flandria, & Belgio reuocatis possidendam distribuit, (quæ postea tractu temporis cum ipsis Incolis nomen mutauit,) & Nordalbingiæ suæ Holsatiae coniunxit. Anno Christi 1140. Lubecam edificauit, vel potius restaurauit. A.C. 1143. à Critone aliàs ceptam, quam deinde combustam.

A.C. 1158. Henrico Leoni Duci Saxonia cecidit, cui postmodum contra Obotritas militans, ad Deminum casus, occubuit Anno 1164. Minda sepultus. Cuius coniux Mechtildis, secundo nupsit suo adiuncto Curatori Henrico de Orlemund. Vnde natus Albertus de Orlemund. De quibus postea pluribus.

Circiter hæc tempora, religiosi homines vestes & Regulas, quibus hætenus adstricti fuissent, mutare cœperunt. Nam, qui paucis ante annis ex Monachis Canonici Regulares exorti essent, vestitumque, ut supra ostendimus, mutassent, disciplinam & Regulam, cui hætenus illigati paruissent, pertæsi, ad liberiores vitam & institutum adspirare ceperunt, quod hætenus in ordinem coacti, vitam se solitariam vixisse quererentur. Itaque penitus luxui vestium indulgere, & liberius vivere. Sed nec nomine contenti, ut Regulares appellarentur, à Regula nimirum & viuendi norma illis præscripta, Canonici seculares salutare voluerunt. Cumque hætenus vno habitu & vestitu amicti essent, nunc quisque pro arbitrio, & pro coloris, quo delectatur, varietate, vestem sibi sumit, conueniens esse ratus, non vni vestitui, aut colori addictum esse. De qua religiosorum innouatione quidam ex veteribus ita scripsit: *Paulatim accrescente in Clero religione, apud Ecclesias ex monachis regulares Canonici prodierunt. Quid autem ex hac resolutione deinceps sit oriturum quis nouit? Interpretemur, oro, vocabulum. Si Canon est Regula, & inde nomen habent, Canonici sunt Regulares. Quid autem de Canonico fiet seculari, nisi sit regularis, sin irregularis, aut si id malumus, regularis sine regula. Erat is deuotionis feruor sub sanctis Patribus, ut inter fratres etiam Pontifices instituerent. Iam ventum est ad Regulares, ut Canonici dicerentur & essent. Utinam & ibi perdurassent. Inferior postea inuentus est gradus Canonicus secularis, hoc est, Regularis*

laris sine Regula, Canonicus sine Canone. Haftenus ille. Quod tamen accipiendum est tantum de ijs, qui initio se statui addixerunt Religioso, deinde ad liberio-rem aspirant vitam. Ceteroqui cum & sacra Aposto-lica Sedes, & vniuersa Ecclesia Catholica, quæ à Spi-ritu S. dirigitur, Canonicos approbet seculares, teme-rè quispiam eos culpauerit. Nec enim ij sunt Canoni-ci sine Regula seu Canone, sed Canonici non perpetuò illigati, sed quamdiu beneficijs fruuntur, possunt e-nim ex causis, cum Summi Pontificis venia & facul-tate beneficium suum dimittere: At Canonici regula-res perpetuò suis regulis sunt obstricti. (*Sub hac tem-pora, Magnus Bartzius Dux Daniae duxit Lutgardin filiam Hermannii de VVinceburg. Hic à VValdemaro Rege oculis priuatus, & castratus fuit: Vxor in Saxoniam rediens mise-rabili sorte truncato naso, à seruo mutilata est. Annal. fol. 165. Erat hæc ante nupta Herico Regi Danorum, qui nomi-natur Lam. Anal. fol. 165.*)

SVENO III. Rex Daniae 78. in Selandia: in acie contra VValdemarum interemptus, agrestium quodam ipsi caput præcidente, Anno 1156. Sub quo propugnaculum, in D. Mi-chaelis templum Slesuigæ conuersum, exstructum. Slesuicen-sibus in excidij compensationem Ius municipale & pratum Regium attribuit.

Erico Rege extincto, Iuuenes tres Regio sangui-ne orti, Canutus nimirum in Iutia, Sueno in Selan-dia, & Waldemarum Erici filius magno ambitu, ac co-natu Regnum appetiuerunt, ac affectarunt, contra voluntatem & dispositionem Erici Curatoris. Nam is congregatione Procerum totiusq; nobilitatis ha-bita, communi consilio, vtriusque Regni Suenonem Regem designauerat. Cui Canutus obliuiscens, Re-gnum, bello contra Suenonem suscepto, summo stu-dio omnibusque viribus affectat. Qua ratione in va-rias distracti factiones, Scanienfes vnà cum populo

Selandensi, Suenouem Regem elegerunt: Iuti verò Canutum. Waldemarus iuuenis S. Kanuti filius, Suenonis partes sequitur, atque hac ratione posterioribus annis scilicet ann. 1161. Ducatum Slesuicensem obtinuit, ac impetrauit, Suenone deinde interempto, Regno quoque Daniæ potitus est. (*Crantz. lib. 5. cap. 27.*) Ex hac fratrum diffensione maximæ consequutæ sunt calamitates, & bella, quæ etiam, signis & prodigijs horrendis præcuntibus, denunciata fuere. (*Historiam hanc latè exsequitur Helmoldus c. 68.*) Quippe in illa cœli plaga, quæ septentriones spectat, ignitæ faces, & humani cruoris species apparuerunt, & conspectæ sunt. Canutus & Sueno inter sese quotidianis prælijs contendentes, nunc victi, nunc victores exstiterunt: non sine magna humani sanguinis effusione, vt rectè quis dixerit, propter eam, qua sibi intimè ac arctissimè coniuncti erant, necessitudinem, eos in propria viscera sæuissè, gladiosq; strinxisse. Adde quòd in Dania intestino bello, grauiori & diuturniori, nunquam antea laboratum sit. Prælio autem tandem in Selandia commisso, pacem fecerunt Canutus & Sueno, *Helmold. cap. 68.* idque de consilio & mandato Pontificis Romani, qui, vt Slauum Religionis Christianæ hostem crudelissimum bello persequerentur, & classe oppugnarent, illis omnino author & hortator erat, Saxonibus terra Slauum aggressuris. Pontifici Romano obsequuti, Canutus cum Iutis magnam nauium copiam contra Slauos parat ac instruit; Sueuo verò classe Slesuicensi eum inuasurus in Germaniam nauigat. Quos Selandenses, & Scani continuo subsequuntur. Hi cum Slauis congressi, inauspicatò admodum ac infeliciter pugnarunt. Nam classis Suenonis à Rugianis cremata, ac cineres redacta est, cum milites prædandi causa in terram exposuisset. Canuti milites, vbi id accepissent, ea clade & infor-

infortunio exhilarati, hosti victoriam gratulati sunt. Sueno classe lacerâ & labefactatâ in Daniam reuersus est, ea spe & intentione, vt nauibus resectis, iterum cum Canuto congredieretur. Canutus clam in Selandiam Caduceatorem miserat, qui Selandenses ad defectionem sollicitaret, fretus multitudine amicorum, quorum opera se effecturum confidebat, vt se illi dederent. Caduceator deprehensus exploratoris pœnas dedit, vt, cui oculi exsculpti fuerunt. Roskildenses verò hisce persuasionibus inducti, Canutum in urbem recipiunt. Quibus rebus moti Scanij, qui Suenoni fidem & iusiurandum dederant, frumento, & commeatu comportato in Selandiam transmittunt. Ibi tum prælio commisso, Suenonis copiae victoria potitæ sunt. Ac Sueno crebris prosperatus victoriis, Canutum eiecit de terra, & ad Saxones pulsum exulare coegit, penes nominatissimum Harturgum Archiepiscopum, qui clarissimo genere natus magna pollebat hæreditate. *Helmold. c. 68.* Rebus ita gestis, Sueno magnis itineribus Slesuicum contendit, Adolphi Holsatiæ Comitis vlciscendi causa, qui Canuto suppetias tulisset, & subsidio militem misisset. Itaque magno collecto exercitu in Wagriam inuadit, & ciuitate Aldenburghensi expugnata & accensa, omnia loca maritima ferro & flamma vastat. Quin & oppidum Segebergense exurit, & solo æquat. Quæ omnia Rex de consilio & instinctu Ethcleri perpetrasse dicitur, vt qui Wagriam Regno Daniæ subijcere volebat. (*Certabat vterq; Regum adsciscere sibi Comitem nostrum, (hoc est Holsatiæ) miseruntq; nuntios cum donarijs, plura & ampliora offerentes. Complacuitq; Comiti ad Canutum, habitoq; collega fecit ei hominum. Helmold. c. 68.*) Comes Holsatiæ fuga arrepta, auxilium Henrici Leonis, Ducis Saxoniae, in cuius clientiam & protectionem sese dederat, implorat. Henricus Leo de his

certior factus, causam examinat, tandemq; re bene perpenſa ac deliberata, mandat, vt Proceres fidei & Iureiurando, quod Regi Daniæ dediffent, renuncient, Comitissq; Adolphi partes sequantur, vel Ditione ſua cedant, Idq; quod haud obſcuris indicijs accepiffet, Suenonem ſibi Holfatiam ſubijcere, & Regno Daniæ annectere decreuiſſe; atque ea de cauſa urbem Slefuiſenſem ſatis antea munitam, firmiorem ac munitiorem reddidiſſe, vt inde, Holfatis ſemel deuictis, & in ſuam poteſtatem redactis, quotidie excurrere liceat, ſi fortassis in officio & fide non manſiſſent. Atque hac tempeſtate propugnaculum illud ad aquilonem in monte excelſo ſitum, à fundamenti erectum & ædificatum eſſe, à Maioribus noſtris memoriæ proditum eſt. Quod poſtea in templum Diui Michaelis conuerſum eſt. Canutus qui exercitum, ad quater mille expeditos, collectum habebat, Slefuiſicum quam ociffime ac celerrime prope- rat ac contendit, urbemq; tam mari quàm terra obſidere cœpit, (*Helmold. c. 68.*) Obſidio menſes aliquot durauit. Sueno belli & obſidionis pertæſus, cum Canuto de pace agere cœpit, & tandem eò rem perduxit, Principibus pecunia corruptis, vt Canutus obſidionem ſolueret, domumq; rediret, cum hac pollicitatione, Suenonem Imperata facturum, & fraternè cum eo acturum. Iuuenis hiſce perſuaſionibus inductus, petitioni eius locum reliquit, & Comite inſcio & inconfulto, durante adhuc obſidione, Iutiam repetit. Sueno, qui Comitem Adolphum ſolum remanſiſſe intellexerat, noctu irrumperè, eumq; in caſtris opprimere ſtatuerat. Comes, vbi caſtra à militibus vacua comperiſſet, technam ſubodoratus, ſumma feſtinatione Holfatiam petit, & caſtra de loco qui vulgo Konigshuie dictus & in myrica Croppiana ſitus eſt, vltra Eidoram mouit & traiecit. Rex exercitum
ad

ad Schalebuiam traducit, vt Comitem, qui regressus erat, à tergo adoriretur. (*Helmold, c. 68.*) Ponte ad Eidoram rupto & deiecto, prælio contendere cœperunt. Sed Comes, cum aliquantisper pugnatum esset, prælio vicit ac superauit. Sueno summa clade affectus, cum ijs qui ex ea pugna euasissent, Slesuicum redijt. Pace deinde constituta, Sueno & Comes reconciliati, amicitiam & concordiam perpetuò coluerunt. Canutum redeuntem Iuti Regem salutant, inq; belli subsidium ingentem pecuniæ summam conferunt ac numerant. His cognitis, Sueno rursus Canutum bello temerè laceßere, neque tutum neque consultum fore putauit, nisi prius exercitu reparato ex orientabilibus. Quare primum in Fioniam appellit, deinde in Iutiam trajcit, conciliatis sibi Wiburgensibus, quibus vectigal regium se remissurum pollicitus erat. Canutus vero forti ac intrepido animo Suenoni venienti occurrit, obuiamq; hilariter procedit. Ancipiti prælio diu atque acriter pugnatum est. Tandem Sueno, Canuti exercitum validissimum stratagemate alto profligauit, & ad internecionem cecidit. Nam absque eo, spem totius Regni abijcere coactus fuisset. Canutus, pulsus fugatusque, ad Frisios nostros tanquam ad asylum confugit, eisq; tributorum remissionem pollicetur, siquidem sibi suppetias ferre non recusarent. Frisij ea spe illecti, auxilio se fore promittunt. Et vt fides dictis inesset, mœnia erigere incipiunt, quibus oppidum, quod ad fluuium Mildam ædificare constituerant, cingerent & munirent. Hac re comperta, Rex copias, quas ex Scania in Selandia collegerat, nauibus imponit, & Slesuicum nauigat, Iutisque, vt vnà cum equitatu subsequantur; imperat. Naues autem minores vehiculis Slesuico deuehendas ad Eidoram curauit, ad obsidendam munionem, quam hostis sui defendendi causa molieba-

tur. Locum autem illum magis natura quam arte munitum reperit. Frisones homines confidentes, bellandi cupidi, magna audacia pugnam inierunt, & aperto Marte in campo hosti occurrerunt, ad amnem quendam valdè amœnum ac placidissimum, ita, ut utram in partem fluat, vix oculis animaduerti possit. Ibi tanta utrimque strages edita est, ut amnis cadaveribus, quæ pontis vicem præstabant, impleretur. Canutus, videns sibi victoriam è manibus excidisse, in fugam se conijcit, vnà cum aliis nonnullis, qui illum è vestigio comitabantur. Plerique intra munitionem sese recipiunt, & hosti magno labore & pro viribus resistunt. Sed eam summo conatu ac indefesso studio, continuato die & nocte labore, oppugnare, Sueno non destitit, quòd Canutum ibi se continere putabat. Tandem cum resistendi amplius facultas non daretur, supplices facti sese dedunt, gratiam & misericordiam implorant & exposcunt, quam etiam præter spem & opinionem adepti sunt. Nam & periueros & foedifragos sponte dimisit, Frisonibus vero, ut pœnæ nomine duo millia librarum penderent, imperavit, obsidibus in eam rem datis atque acceptis. Canutus, rebus desperatis in extremas huiusmodi angustias redactus, ad Fridericum Barbarossam confugit, utque eius ope, consilio & auxilio in Regnum reduceretur, summopere petit, ac contendit. Idque ut eò facilius impetret, pollicetur, si ab eo restitutus fuerit, se Regnum Daniæ eius Imperio subijcere paratum esse. Cæsar Imperij Romani amplificandi cupiditate adductus, Suenonem per litteras ad colloquium peramanter inuitat, fretus amicitia & familiaritate, quam apud Imperatorem Conradum, cui vterque inseruiisset, contraxissent, & iam inde ab incunabulis coluissent. Sueno *Merseburgum* aduolat Imperatori obsequutus. Eò cum ventum esset, Imperator quasi pro Impe-

Imperio agere, Suenonemq; ad obedientiam Imperio Romano præstandam cogere. Sueno, qui in ipsius esset potestate, ex tempore consilium capiens, obedientiam Imperatori, & Selandiam Canuto se concessurum verbis promittit, etsi longe aliter sentiret, aliudque interius animo decretum ac constitutum haberet. In eam rem fidem suam interponit Waldemar Dux Slesuicensis, vades factus. Sueno domum reuersus, Imperatori rescribit, se quodammodo coactum fidem dedisse, de Daniæ Regno Imperio Romano subiiciendo: id autem se præstare ac efficere nequaquam posse, quòd Regum Daniæ nemo unquam Imperatori paruisset. Cumq; Waldemar, Vades datus, vt se sisteret posceretur, Sueno eius defensionem & excusationem suscepit, quòd diceret Regnum Daniæ Selandia carere non posse. Interim tamen vt Canuto aliqua ratione satisfaceret, se Canuto tres præfecturas concedere & permittere paratum esse: vnā in Iutia, alterā in Selandia, tertiam in Scania. (Quæ Annales nostri fol. 188. ita referunt. Anno Domini M. C. LII. regnavit Fridericus I. 86. ab Augusto, filius Friderici Sueonum Ducis, vt testis est Otto Fris. li. 2. c. I. (qui fratri suo Conrado Henrici Imp. filio successit,) & Pentecosten Merseburgi celebravit, vbi Regi Danorum Suenoni regnum confirmavit, & Canutum parte regni, & possessionibus suis contentum esse fecit. *Hactenus Annales.*) Waldemar autem Suenonem grauitè inculsat & increpat, quòd fidem falleret, sed is hæc omnia susq; deque nihilque pensi, quid afferebatur, omnino habuit. Nā victoria rerumque prospero successu elatus, omnibus præ se contemptis, tantopere fastu ac insolentia intumescibat, vt omnium animis à sese auersis ac abalienatis, suorum quoque odia in se concitaret. Idque eò magis, quòd ex aula Caesaris reuersus, habitum & cultum

tum Germanicum in Daniam inuexisset. Waldemarus autem Regi etiam in suspicionem venit, quod Canuti Sororem in uxorem duxisset. Quibus rebus fiebat, ut Rex Sueno, tam Waldemaro, quam Canuto insidiaretur. Cum hic rumor sparsus ac disseminatus esset, paulatim res Suenonis ac fortuna inclinare, & quasi ruinam minari coepit. Sueno, ut iram aduersus Canutum & Waldemarum conceptam tandem euomeret, animiq; propositum ac conatum ad exitum perduceret, exercitu collecto, eos inopinantes in Intia inuadere & opprimere constituit. Contradiacentibus vero amicis, & ne id faceret, omnino dissuadentibus, ipsumque à proposito suo summopere dehortantibus, consilio mutato, eorum voluntati tandem obsequitur moremque gerit. Quorum etiam hortatu ac suasu, exercitum dimisit, nihil etiam suspicans mali. Exercitu dissipato, omnium procerum animos ab se abalienatos comperit. Sueno, metu adactus, periculi vitandi causa, recta ad Henricum Leonem contendit, Conrado Imperatore, apud quem triennium vixerat, iam vita functo, eique ingentem pecuniae summam dare, & de fideiussoribus cauere promittit, si eum in Regnum restitueret. Quin & Hartvicus Bremensis Archiepiscopus Suenoni opem & auxilium pollicetur, promittenti, se reducem factum, ius illud, quod Archiepiscopi Bremenses in Dania habuissent, & aliquot iam annos amisissent, Ecclesiae Bremensi integrum restitutum. Quare exercitu collecto, Sueno una cum Archiepiscopo, Slesuicum recta contendit. Ad vallum Danorum cum ventum esset, illicque transitus non daretur, plusculum temporis ibi substiterunt. Post longam autem deliberationem, tandem hanc rationem inierunt, eumque qui portae ferreae praeerat, pecunia oppugnare coeperunt, ut eos transire pateretur. Qui etsi initio diffi-

difficilem ea in re se præberet, tamen paulò post argento corruptus portam reſerat, ijsque tranſitum præbet, idque hoc prætextu, quod Regi rem gratam faceret. Hac commoditate uſi, Sleſuicum obſident, oppugnant, & diripiunt. Sed & exactiorem ac cenſum grauiffimum fereq; intolerabilem à Ciuibus Sueno exegit. Quibus de cauſis commotus Hartvui-
cus Episcopus, Regi author fuit, vt proditorem, qui ære corruptus portam aperuiſſet, ad portam vnà cum pecunia, quam Sueno ei pactus erat, ſuſpenderet, quòd id meritis eſſet, vt alij hoc exemplo territi, ab eiufmodi ſcelere cauerent, & proditiõis præmia omnibus innotefcerent. Cui Rex obſequutus, hominem corripit ac ſuſpendi iuſſit in porta. Sed & claſſem Ruthenorum, quæ in portu Sleſuicenſi erat, expila-
uit & diripuit, mercesque in nauibus repertas militibus pro ſtipendio attribuit & dedit. Quo factum, vt mercatores omnes exteri, & aduenæ, qui eò com-
meare, mercesq; importare ſolebant, poſt illum diem nunquam Sleſuicum redierint. Ita vrbs florentiſſima antea ac populofiſſima, in vicum fermè redacta à Suenone, nunquam ad hunc uſque diem emergere, atq; ad priſtinum ſtatum reduci potuit. Saxo Gram-
maticus hac de re ita verba facit. *Illic Sueno peregrinam claſſem prædatus, direptas Ruthenorum merces ſtipendij loco militibus erogauit. Quo facto non ſolùm Aduenarum in poſterum frequentiam deturbauit; ſed etiam ſplendidam mercimonijs urbem ad tenuem anguſtumq; vicum redegit. Sue-
no vt Ciuitati in ſuam poteſtatem redactæ, de damno & iniuria illata, aliqua ratione ſatiſfaceret, ius municipale, quo adhuc hodie vtuntur, Sleſuiceniſibus dedit, & promulgauit, idque magni beneficij, & Pri-
uilegij loco habendum exiſtimauit. Inter alia autem lege cauuit, vt ciues in Ciuitate conueniri debeant, neque alibi in ius vocari aut conueniri poſſint, vel à*
Rege

Rege vel à Duce. Item, vt Ciuis, qui quotannis duos denarios soluerit in die purificationis, extra portam Ciuitatis, ab Episcopo vel Clericis, vel Romam in ius vocari non possit. Sed & pratum illud, ad ripam Sliæ fluminis situm, vulgò pratum Regium appellatum, ciuibus perpetuò vtendum fruendum dedit. Quo tamen hodie ciues non fruuntur. Exigua sanè immunitas & satisfactio pro tanta iniuria & damno illato, quod Slesuicenses in hunc vsque diem reparare non potuerunt. (*Anno 1154.* Sueno Rex Danorum regno pellitur, & Regnum à Canuto eiusq; nepotibus occupatur, Henricus Dux Saxonie Suenonem Regem Danorum regno suo restituit. Ita *Annal. fol. 190.*) His rebus cognitis, Waldemarum ingenti militum numero coacto, Henricum Leonem adeò perterritum fecit, vt, Suenone deserto, in Germaniam redierit: etsi aliam abitionis causam prætexeret, ne videlicet timidus ac meticulosus videretur. Sueno Henricum Leonem abeuntem, domumq; properantem, summo opere rogauit, & sollicitauit, vt cohortes Vandalorum validissimas, quas adduxerat, ei tradere ac committere vellet. Quibus stipatus ac munitus, in Fioniam nauigat, vbi summa omnium cum gratulatione & lætitia suscipitur. Sed cum Canutus & Waldemarum ipsum bello persequi constituissent, Sueno, exercitu relicto, in Iutiam traiecit & fugit. Quare concilio habito, & re deliberata, Regni Proceribus placuit, vt Regnum Danie in tres partes diuideretur. Quarum vna, Scania nimirum, Canuto gubernanda tribuatur: Iutia verò Waldemaro detur: Selandia autem & Fionia alijsque Insulis Sueno præsit. Quæ diuisio religione Iurisiurandi roborata & firmata fuit. Atque ita tandem post diutina bella & concertationes iamdudum optata pax facta est. (*Anno 1151.* Rex Curiam denunciavit apud Marpolim Saxonie ciuitatem.

missa

missaq; legatione, Reges Danorum tumultuantes euocauit, vt decerneret inter eos mediante iustitia. Tunc Canutus, quem tertio pulsum diximus, venit ad Ducem nostrum, rogans, vt eius conductu & auxilio induci iterum in patriam mereretur. Porro Archiepiscopus conduxit Suein Regem, habens inter Religiosos & honestos viros vnà Vicelinum in comitatu suo. Et habitata est Curia illa celebris apud Marpolin: vbi Principes Danorum confederati sunt: Suein coronato in Regem, ceteris eidem hominio subiectis. Helmold. cap. 74. Vide etiam cap. 85. apud Helmoldum.)

CANVTVS V. post bellum inter hos tres Regni amulos sopitum Scaniam obtinuit, Rex Dania factus 79. In Conui- uio à Suenone carminibus irritato cæsus anno 1156. Ros.

Accidit non ita multò post, vt Sueno à Canuto, animis iam reconciliatis, hospitio exciperetur, vbi & Waldemarus esset. (Helmoldus cap. 85.) Forte fortuna quidam carminibus & rhytmis cepit calamitates & miseras, in quas Sueno incidisset, decantare eique inter alia odiosè & contemptim exprobrare: quòd cum antea sese pro Rege gessisset, nunc maximis ac potentissimis Regni Prouincijs defraudatus, tertia eiusdem parte contentus viueret. Ea de re Sueno à muliercula quadam monitus, stomachari & excandescere, deq; iniurijs ac opprobrijs, quibus laceratus erat, vindicandis, altè ac serio cogitare cœpit. Itaque ministro cuidam, cui plurimum præ cæteris fidebat, mandat, vt adhibitis alijs, quos secum habebat, satellitibus, de Consorte Regni è medio tollendo, consili- lium ineat, eumque, data occasione, interficiat ac confodiat. Minister, Suenonis Imperio obsequutus, facinus aggreditur, impetuque in Canutum facto eum interimit, Waldemaro etiam grauius vulneribus confecto, qui tamen adhuc faucibus euasit & fugit, etsi in summo discrimine ob acceptum vulnus versaretur. (Vide Helmoldum cap. 85.) Eum fugientem perse-

persequi & inquiri iubet Sueno. Sed is amicorum ope & beneficio, eos, qui ad indagandum destinati erant, fefellit, & incolumis euasit, nauemque nactus, tempestate aduersa aliquantisper iactatus, in Iutiam transmisit. Eò cum ventum, qua potuit celeritate id fieri, collecta militum manu, rursus cum Suenone acie dimicat ac contendit. In quo prælio Sueno lassus, viribusque confectus ac destitutus, à rustico quodam confoditur: iusto Dei iudicio eum ad pœnam trahentis, vt qui fidem datam & Iusiurandum toties violasset, & parricidium periuro cumulasset. Referunt hæc breuiter Annales nostri fol. 190. his verbis. Anno 1157. *Canutus Rex à Suenone, dolose interimitur. VValdemarus vulneratus vix euasit. Postea factum est prælium inter Suenonem & VValdemarum. Suenonis victa pars corrunt, ipse autem fugiens capitur & obtruncatur. Anno 1158. maxima tempestas exstitit, ventus turbinis fortissimus arbores immensas radicitus euulsit, Ecclesias cum domibus euertit. Aquarum quoque inundantia infinitam hominum multitudinem cum pecoribus suis exstinxit. fol. 190. Annal.)*

CAPVT XXVI.

*Officio Esbernium depellunt Pontificali,
Fortis & arx hosti præda petita ruit.
(Dum nulla est nobis mutandi fata potestas)
Secedens patria deserit ipse gregem.*

ANNO à nato Christo 1154. Esbernus Danus Occoni Episcopo è Selandia migranti & discedenti sufficitur, & confirmatur ab Eskillo Archiepiscopo Lundensi. Hic, etsi initio suæ administrationis, annisque aliquot subsequenti-